

53. Deinde pravam illam & tūm temporis valde usitatam consuetudinem jurandi per creaturas improbat, id quod statim subiectæ Iuramentorum formulæ ostendunt, qua pharisæi honorem soli Deo debitum creaturis tribuebant.

54. IX. Matrimonij sive Conjugij sanctitatem & necessitatem scriptura sacra nullibi non inculcat. Genes. 2. 24. Psal. 118. 2. & seqq. Prov. 31. 10. & seqq. Matt. 19. 11. 12. 1. Cor. 7. 2. Hebr. 13. 4. ita ut eam maligno dente arrodere qui velit, meritò à Deo haberi possit & debeat.

55. Harum novem specierum notatione, reliquas etiam universas legitimas ordinationes civiles simul comprehendit Confessio nostra: de quibus illis singulis disertè affirmat, licitas & concessas eas esse, sic ut subire ipsas homini Christiano liceat, & earundem operâ uti, nemini sit prohibitum.

QUAESTIO II.

Quid discriminis intercedat potestati Politicæ cum Ecclesiastica.

56. Ea fuit superioribus seculis in Papatu rerum omnium utriusque potestatis, Ecclesiasticæ ac Politicæ confusio, ut non modò potestas Ecclesiæ propria in Tyrannidem degenerarit: sed & politica potestas tota penè extincta & è medio sublata fuerit.

Quid